



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Arnoldi Corvini à Belderent J. U. D. Jus Canonicum, Per
Aphorismos Strictim Explicatum**

Corvinus van Beldern, Arnold

Amstelodami, 1663

Anabaptistis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10591

si admoniti, se non corrigunt, deponuntur; privilegiis Clericis concessis privantur; c. *sine ornatu*. 22. qu. 4. c. *sin autem*. 11. qu. 3. c. 1. hic. fœdo carceri, donec, suos pertæsi errores, ad saniores mores, à quibus tam obstinatis animis declinarunt, revertantur, includuntur. *Abb. in d. c. 1. c. pen. hic.*

De Anabaptistis.

T I T. X.

ANabaptistæ sunt, qui sacrum baptismum iterant. *Clem. 1. §. ult. de sum. Trinit.*

Hi, si Clerici, deponuntur: c. *eos quos. dist. 4.* si Laici, excommunicantur, nec ad ordines admittuntur. c. *qui aliquo. dist. 51. c. qui in qualibet. 1. qu. 7. c. 2. de apost.*

Rebaptizati, ignoranter; ad ordines, nisi maximâ necessitate urgente, admitti non possunt: scienter; per septem annos pœnitere debent: per tres, qui pro munditia se rebaptizari petiverunt: c. *qui bis. 17. de consecr. dist. 4.* Episcopis, Presbyteris, Diaconis sponte vel coactè rebaptizatis, perpetua pœnitentia imponitur. c. *eos quos Episcopos. 18. c. ad. dist. 4.*

De Parricidio.

T I T. XI.

SEquitur de *homicidio*. quod est vel *parricidium*; de quo hoc titulo: vel *homicidium*; de quo titulo proximum sequente.

Parricidium est, quando occiduntur parentes vel filii, vel aliæ personæ sanguine conjunctæ.

Illud committentes, parricidæ dicuntur: Qui tamen propriè sunt illi qui parentes aut liberos occiderunt: de quibus, & eorum pœna legibus statuta, vide Aphorismos nostros in Digesto. Nos tantum hic tractamus de his, qui liberos occiderunt, & eorum pœna, hoc jure statuta.

Qui